



B. C. D.



Legem accurate discernere ab Evangelio tanti est momenti, ut B. LUTHERVS in Comm. ad Gal. II. de eo scribat: *Qui bene novit discernere Legem ab Evangelio, is gratias agat Deo, et sciat se esse Theologum*: quorum verborum veritatem uberius exponit B. CHEMNIIVS in Locis Theol. Parte II. Loco de Justificatione p. m. 221. seqq. arctissimum hujus doctrinae nexum cum doctrina de Justificatione ex Rom. I. 16. 17. III. 21. IV. 13. X. 4. Gal. III. 21. 22. Ioh. I. 17. ostendens. Nec minus graviter de eodem argumento differit B. SELNECCERVS in Institutionis Christianae Religionis Parte II. p. m. 27. *Sunt haec discrimina Legis et Evangelii diligentissime consideranda, ut accuratis et conspicuis limitibus, tanquam in judicio finium regundorum, haec duo genera doctrinae, Lex et Evangelium, discernantur. Quorum confusio tristissimis tenebris totam Ecclesiae doctrinam involvit; accurata vero distinctio maxime necessaria est ad veram agnitionem Dei et beneficiorum Christi, ad veram invocationem Dei, ad fidem, ad veros cultus Dei, ad veram consolationem animorum, et ad discernendam veram Ecclesiam Dei ab Ethnicis.* --- Diligenter igitur studiosi, et in toto studio doctrinae Theologicae, et in quotidiana invocatione, et caeteris pietatis exercitiis, haec discrimina Legis et Evangelii considerent. Quo magis igitur necessarium est, solcite discernere Legem ab Evangelio, eo minus superfluum videri poterit, affinitatem utriusque, quae facile incautos in confusionem utriusque induceret, ad evitandam hanc confusionem penitus con-